

Exciendus est casus in quo confessarius non impo-  
suisset actum personalem et afflictivum : tunc nihil obsta-  
ret quominus poenitens satisfactionem sibi injunctam per  
alium impleret, v. g., eleemosynam pauperibus erogandam  
alteri committeret, nisi ex intentione confessarii ipse pau-  
peres visitare deberet.

*Nota.* Si modus satisfaciendi non fuerit a confessario  
determinatus, arbitrio poenitentis relinquitur : hinc si re-  
citatio Rosarii, v. g., simpliciter injuncta fuerit, poenitens  
satisfaciet illud recitando genuflectens, stans, deambu-  
lans, sedens, aut alternatim cum alio : si pia lectio  
fuerit praescripta, sufficiet legere oculis et mente sine vo-  
cibus articulatis, etc.

## CAPUT SEXTUM.

### DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

In precedentibus capitibus de materia hujus sacramenti tractavimus : nunc per ordinem de forma ejus agendum est, et tria examinanda forent, videlicet 1º quæ sit forma hujus sacramenti, 2º quis ejus sensus, et 3º an forma deprecatoria sit valida. Jam probavimus adversus novatores sensum formæ seu absolutionis esse actum judiciale. Restat igitur ut duo alia examini subjiciamus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### QUÆ SIT FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, hæc habet : • Forma hujus saeramenti sunt verba absolutionis  
» quæ sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo*, etc.; et Conc. Trid., sess. 14, cap. 3 : « Docet præterea sancta  
» Synodus sacramenti Poenitentiarum formam, in qua præ-  
cipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam  
» esse : *Ego te absolvo*, etc., quibus quidem de Ecclesiæ  
» sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur :

» ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant,  
» neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt ne-  
cessariae. »

Unde Rituale Romanum hæc statuit :

« Sacerdos cum poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta poenitentia salutari, primo dicat :

« *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

» Deinde, extensa versus poenitentem dextera, dicit : *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

» *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

» *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.*

Admonet postea idem Rituale omittendam esse vocem *suspensionis*, si poenitens sit laicus; omittenda est pariter si sit clericus in sacris non constitutus : et addit, in confessionibus frequentioribus et brevibus omitti posse orationes, *Misereatur* et *Indulgentiam*, satisque esse si dicatur *Dominus noster usque ad Passio Domini*, urgente vero gravi necessitate, breviter dici posse : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

Rituale Cenomanense dicit faciendum esse signum crucis super poenitentem, dicendo *Indulgentiam*, etc., etc., extendendam dextram versus eum, dum dicitur *Dominus noster*, etc. (cui orationi quædam adduntur verba), et ambas jungendas esse manus, dicendo *Passio Domini*, etc.

Circa modum administrandi sacramenta, unusquisque accurate ediscere tenetur Rituale propriæ sua diœcesis, et a regulis in eo contentis recedere non debet.

Rituale nostrum permittit quidem brevem formam, *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, etc.*, pronuntiari in extrema necessitate, si nempe pœnitens ita sit morti proximus, ut integra forma pronuntiari nequeat; nihil vero dicit de licentia omissitudini preces ante et post absolutionem in confessionibus frequentioribus et brevibus: unde concludimus eas in mente ejus non esse omissendas.

Attamen illarum omissionis, citra contemptum, lineam peccati venialis excedere non videtur; et probabilius nullum esset peccatum si notabilis existeret causa sic agendi, quia si talis omissionis expresse non permittatur apud nos, dici etiam potest illam positive non prohiberi.

*Quæritur 1º* quænam verba sint essentialia.

R. Certum est totam essentiam absolutionis intra verba orationis, *Dominus noster*, contineri: at pariter certum est omnia verba illam constituentia, ad validitatem sacramenti non requiri, quia plurima tolli possunt sine mutatione in sensu.

Sic 1º verba *Dominus noster*, usque ad *Ego te absolvo*, ad essentiam formæ non pertinent: patet ex conciliis Florentino et Tridentino;

2º Nec pronomen *ego*, quod sufficienter exprimitur per verbum *absolvo*;

3º Nec illa verba, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quia invocatio sanctissimæ Trinitatis in administratione hujus sacramenti non prescribitur in Scriptura, nec in traditione, nec in usu Ecclesiæ, tanquam essentialis: *ita communiter docent theologi*.

4º Doubtatur an verba *a peccatis tuis* sint essentialia. Multi negant, dicentes sensum verborum *absolvo te*, præsentia pœnitentis, qui peccata confessus est, sufficienter determinari; alii vero non pauci contendunt ea absolute requiri; nam, inquit, Christus sacramentum Pœnitentiae instituendo dixit, *Quorum remiseritis peccata*: sicut, propter verbum *quorum*, exprimenda est persona absolvenda, sic pariter exprimenda sunt peccata. Prior sententia probabilior nobis videtur; sed omnes fatentur

ea omittere verba mortale esse peccatum, et in casu omissionis iterandam esse absolutionem propter dubium.

Ergo hæc verba, *Absolvo te a peccatis tuis*, reputanda sunt essentialia, et saltem, etiam in casu necessitatis, sic pronuntianda est absolutio: *Ego absolvo te ab omnibus censuris et peccatis tuis, in nomine Patris, etc.* Communis tamen docetur censuras, solo verbo *a peccatis*, tolli cum ipsis peccatis.

*Quæritur 2º* an absolutio sub forma æquivalenti prolatæ, v. g., *Condono, Remitto tibi peccata tua*, sit valida.

R. Graviter est illicita, ut pote insolita, praxi Ecclesiæ contraria et pœnitentium offensiva: sed valida est, quia idem substantialiter remanet sensus. Notat Cajetanus, apud Billuart, illicitam quidem, sed validam fore absolutionem datam in plurali numero, honoris causa.

*Quæritur 3º* an forma absolutionis ita essentialiter consistat in verbis ore prolatis, ut scriptura vel nutus non sufficient.

R. affirmativa. 1º Quia talis fuit voluntas Christi, unanimi Ecclesiæ consensu probata. 2º Quia concilia Florent. et Trident. ita requirunt.

Non obstat quod in foro contentioso sententia scriptura proferri possit, nisi legislator aliter statuerit: nam judicium sacramentale et judicium forense non sub omni respectu æquiparari debent, et in præsenti casu discriminem in eo consistit, quod judicium forense de absente proferri possit, non item sacramentale.

*Hinc 1º* absolutio valide dari non potest per litteras neque per nuntium, ex dictis.

*Hinc 2º* necesse est ut persona absolvenda sit moraliter præsens, id est, intra distantiam qua homines communiter altiori voce loqui solent, quod nonnulli ad viginti passus circiter extendunt. Attamen in casu necessitatis, pœnitens longius distans, v. g., cadens e tecto, sub conditione absolvendus esset.

Non requiritur ut pœnitens verba absolutionis audiat vel audire possit, et multo minus ut ea intelligat.

*Quæritur 4º* an forma sub conditione prolatæ, sit valida et licita.

R. 1º. Certum est absolutionem datam sub conditione de futuro, v. g., Absolvo te, si restituas, si in peccatum non laboris, esse nullam. Vel enim effectum suum haberet hic et nunc, vel tempore quo adimpleretur conditio : at neutrum dici potest; non prius, cum sacerdos intentionem absolvendi non habeat; non posterius, quia gratia sacramenti, ex omnium sensu et ex ipsa natura sententiae judicialis, non potest sic manere suspensa.

R. 2º. Absolutio data sub conditione de præterito vel de præsenti, extrinseca sacramento, v. g., *si non es absolutus*, valida est modo conditio existat; nihil enim effectum ejus suspendit. At graviter illicita est, nisi necessitas excusat, quia hic modus absolvendi est insolitus et reverentiae sacramento debitæ adversus.

R. 3º. Absolutio sub conditione sacramento intrinseca, quæ necessario supponenda est, v. g., *Absolvo te, si vere es contritus, si votum restituendi habes, etc.*, juxta quosdam invalida est, secundum alios vero communiter, valida, sed graviter illicita, saltem extra necessitatem : confessarius enim judex est : debet ergo sufficientem adhibere curam ut de statu poenitentis prudenter judicet et absolutam ferat sententiam.

Diximus, *saltem extra necessitatem*, quia generatim theologi dicunt aut supponunt conditionem, *si tu es dispositus*, apponi posse vel debere in necessitate extrema vel gravi, id est, in articulo vel periculo mortis. *Bened. XIV*, de Synodo diœcesana, l. 7, cap. 13, utramque librans opinionem, neutram amplectitur. *Dens*, t. 6, p. 27, arbitratur tutius esse nullam apponere conditionem, etiam in necessitate.

R. 4º. Ex hypothesi quod legitime apponatur conditio, generaliter supponunt autores eam non esse vocibus exprimendam, idque probare videtur usus in Ecclesia receptus, ea fundatus ratione, scilicet, quod sacramentum Pœnitentiae per modum judicii administretur, et in judicio sententia absoluta esse debeat.

Multi tamen dicunt quod, si dubitetur an poenitens adhuc vivat, vel fuerit absolutus, absolutio dari possit sub conditione expressa, *si tu es capax, si non es absolutus*,

ut fit in Baptismo. Ita *P. Antoine*. Certe nec eum qui in eo casu conditionem exprimit, nec qui non exprimit damnare vellemus, nisi aliter in Rituali diœcesano statueretur.

### ARTICULUS SECUNDUS.

#### AN FORMA DEPRECATORIA SIT VALIDA.

Tripli modo enuntiari potest absolutio, videlicet 1º indicative, v. g., *Absolvo te a peccatis tuis*, ut fit apud nos; 2º deprecativa, v. g., *Absolvo, quæsumus, Domine, hunc famulum tuum a peccatis ejus*, ut fit apud Græcos; vel 3º imperative, v. g., *Esto a peccatis tuis absolutus*.

Nulla proferuntur exempla quibus ostendatur formam imperativam olim fuisse usurpatam : eam igitur prætermittimus.

Certum est a forma indicativa apud nos usitata recedere graviter illicitum fore, quia violaretur lex ecclesiastica in materia gravi.

Quæstio est igitur an ex hypothesi quod forma deprecatoria adhiberetur, sacramentum esset validum. Affirmat *P. Morinus*, l. 8, cap. 8, et plurimi post ipsum, inter quos *Juénin*, *Witasse*, *Tournely*, etc., qui contendunt hanc formam duodecim prioribus sæculis adhibitam fuisse in ipsa Ecclesia Latina.

Multi vero alii demonstrare nituntur formam indicativam absolute necessariam esse, et proferunt monumenta quibus ostendere volunt formam indicativam, si non in verbis saltem quoad sensum, semper in usu fuisse, tum apud Græcos, tum apud Latinos.

#### PROPOSITIO.

*Probabilis est formam pure deprecatoriam ad validitatem sacramenti non sufficere.*

*Prob.* 1º *Scriptura sacra*. Christus enim, instituendo hoc sacramentum, non dixit : *Quæcumque petieritis peccata esse solvenda, erunt soluta, sed : Quæcumque solveritis* : porro illa verba indicant actionem sacerdotis non

tantum deprecantis, sed pronuntiantis tanquam auctoritatem habentis : ergo.

2º *Auctoritate concil. Florent. et Trid.* quæ definierunt formam sacramenti Pœnitentiae sitam esse in his verbis, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, et preces quæ illis laudabiliter adjungi solent, ad essentiam formæ non pertinere. Nonne eo ipso definierunt formam essentialē esse indicativam?

3º *Plures sancti Patres* comparant ministerium sacerdotum novæ Legis pœnitentes absolventium ministerio levitarum leprosos probantium, et inter hos et illos hoc admittunt discri men, scilicet, quod in nova Lege sacerdotes lepram peccati non tantum probent mundatam, sed mundent; dum levitæ lepram carnis solummodo declararent mundatam: atqui tale non admitteretur discri men, si forma simpliciter deprecatoria sufficeret.

4º *Ratione theologica.* Sacramentum Pœnitentiae per modum judicij fuit institutum: sacerdos igitur debet proferre sententiam ut judex: porro sententiam non proferret ut judex, si tantum deprecaretur: ergo.

*Insuper probavimus supra* absolutionem sacerdotis peccata esse remissa declarantis, nudum non esse ministerium, sed actum judiciale: ergo denique, etc.

Verum forma deprecatoria in sono, sed indicativa in sensu, valida est; constat enim propria verba formæ hujus sacramenti a Christo non fuisse determinata: sufficit ergo ut actio ministri absolventis exprimatur et veriscentur verba Christi, *Quorum remiseritis*, etc. Porro actio ministri absolventis per formam deprecatoriam in sono et indicativam in sensu exprimitur. Supponatur, v. g., hæc forma Græcorum, apud *Goar*, *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor et agnus qui tollis peccata mundi... relaxa, remitte, condona peccata... a servis tuis istis commissa*. Cum sacerdos prius audierit penitentem eique satisfactionem injunxit tanquam judex, nonne sensus hujusmodi verborum est: *Remitte, Domine, peccata cui ea remitto, seu, in cuius gratiam ministerium meum exerceo, juxta verba tua Quorum remiseritis*, etc.? Ergo.

Unde 1º, licet forma deprecatoria olim adhibita fuerit apud Latinos, *hocque supposito, non concesso, nihilominus* sacramentum erat validum. 2º Etiam si sola forma deprecatoria in sono adhiberetur apud Græcos, validitas sacramenti non perilitaretur; et idcirco Latini talem formam eis nunquam exprobaverunt, nec dubitaverunt illos sacramentum Pœnitentiae retinere.

Cæterum, falsum est solam formam deprecatoriam in usu esse apud Græcos; *Goar* enim plures describit formas indicativas apud Calabros, Apulos et Siculos usurpari solitas, quas nonnulli Orientales acceptarunt. Arcudius, ipse Græcus, probat, in opere cui titulus: *Concordia Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis in sacramentorum administratione*, l. 4, cap. 2, eas formas quæ primo aspectu deprecatoriae videntur vere esse absolutas quoad sensum, et initio capituli sapienter observat « nullam unquam fuisse » controversiam de hac re inter Græcos et Latinos, ac « proinde non esse verisimile antiquam formam hujus » sacramenti ex odio alicuius vel malitia mutatam ali- « quando fuisse, et incredibile dictu videri Græcorum » ecclesiam nunquam habuisse veram formam hujus » sacramenti. »

## CAPUT SEPTIMUM.

### DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Tres hujus capituli erunt articuli, quorum primus erit de charactere in ministro sacramenti Pœnitentiae requisito; secundus, de jurisdictione ipsi necessaria; et tertius, de ejus officiis seu obligationibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE CHARACTERE IN MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE REQUISITO.

Valdenses existimabant bonum laicum, non vero ma-  
lum sacerdotem, habere facultatem absolvendi. Inter ar-